

princeps ingenij Plato hanc vestibulum, & aditum ad reliquias doctrinas voluit esse, non eā solum causā, quod illae sine numeris nullae sint, verū etiam quod numerorum tractatione nescit animus, & preparatur ad reliquos doctrinæsatus recipiendos. Huius ego præstantissimæ scientiæ pulchritudine captus, olim dederam me ad totam numerorum naturam inuestigandam, ut cum illam animo, scientiaq; comprehendissem, tum demum literis eam illustrarem, atq; Arithmeticae præcepta, Algebrae q; documenta, (rem ita non omnibus cognitam) quibus in vita præclarioris vix aliquid reperias, ad certa quædam capita, & faciliiores demonstrationes reuocarem, ut cuius aperta, & prompta essent. Res erat præclara illa quidem, sed multilaboris, atque temporis. Itaque interea dum opus illud à me limatur politius, cœpi, quæ ex multorum libris dispersa collegeram, separatim ad meum usum in commentariolum referre, ut videlicet ad manus mibi essent, meisq; auditoribus explicarem: qui enim hactenus Arithmeticam tractarunt, ij aut multitudine præceptorum rem perturbarunt, aut breuitate obscurarunt, sic, ut (in quotamen de nullius existimatione detractum velim) quem in hac scientia magistrum, & ducem tyrones sequantur, vix inueniant. Is libellus cum imprudenti mibi excidisset, & in manus hominum venisset, summis precibus contenderunt à me viri graues, ut eum cum plurimis communicarem. quod fore dicerent, ut is utilissimus accideret ceteris studiosis, tum vero ijs, qui nostras scholas frequentant: quorum utilitati nolle consultum non esse eius, qui sua, suaq; omnia Dei gloriae, omniumq;